M iseretur cum patiendo pauperi et tribuit elemosinam. Haec est enim uera iustitia ut primum in animo compatiaris et con
doleas. Deinde manus ad erogandum extendas. Altiore sensu. Mutuabitur peccator. qui accipit dona dei sapientiam
et intellectum. et non reddit id est non agit datori gratias. Neque enim bonis operibus ei beneficiis respondet. Iustus autem miseretur
sibi. Iuxta illud miserere animae tuae placens deo. Deinde tribuit. id est gratias agit deo quia benedicentes ei hereditab(unt)
terram. id est laudantes dominum et gratias pro inpensis beneficiis agentes illi hereditabunt terram uiuentium. Maledicen
tes autem ei disperibunt. Maledicentes. id est negantes et ingrati existentes diuinae bonitati disperibunt. Segre
gati a societate iustorum. Apud dominum gressus hominis dirigetur. quia nullus quicquam per se boni agere aut saltem
uelle potest. sine ut doctrinae diuinae gratiae. Ideo dicit quia gressus hominis. id est actiones eius apud dominum dirigentur.
N on a per se tortuose fiunt nisi a domino erigantur. et uiam eius uolet. Iustum enim est ut domino bonam uoluntatem inspirante et effectu
boni operis tribuente: homo uelit uiam eius. id est subsequatur et obtemperet gratiae eius. Cum ceciderit. non collidetur. Casus iste ad
uersitas ut afflictio debet intellegi. Cum enim iustus ceciderit cum aduersitatibus seculi pressus fuerit non collidetur. id est non fran
getur multitudine ponderis. Quia dominus subponit manum suam. Manus domini id est exempla fratrum Christi atque sanctorum inter aduer
sa confugiunt. et illa sibi ad imitandum proponunt. Considerant quanta creator sustinuerit quot contumelias
tollerauerit. et hac quasi manu eriguntur ne superantur. Hinc ipse dicit. Si me persecuti sunt et uos persequentur. Potest
et ita dici. Cum ceciderit in aliquam temptationem insidiante diabolo non collidetur quia cito recurrit ad penitentiam.
et dominus subponit manum misericordiae non conteratur. Consideremus dauid et beatum petrum quorum uterque prolapsus est. Sed
ita penitentia pristinum recuperabis statum. Nec iustitiae meritum perdidit. Hinc scriptum est. Septies cadit iustus et
resurgit. Iunior fui et enim senui. Quia superius diximus ecclesiam in hoc psalmo loqui. uideamus quae sint aetates
eius. Iunior fuit ecclesia primis temporibus sub lege. Senuit uero tempore gratiae euangelicae quando omnem perfectionem
diuinae scientiae consecuta est. Et non uidi iustum derelictum. Licet enim iusti in tribulatione derelicti putarentur
a deo. Non tamen deserebantur eius auxilio. sed probabatur eorum patientia. Nam et ipse dominus se delictum queritur dicens deus deus
meus quare me dereliquisti. Cum tamen deus pater semper cum illo fuerit. Nec semen eius querens panem. Legimus abraham
et isaac multos qui secorum causa famis peregrinatis panem quesisse: Ergo de spiritali pane hoc accipiamus quo semper
habundant sancti qui pascuntur illo pane: qui de caelo descendit. Tota die miseretur et commodat. Tota die. id est omni tempo
re miseretur cum patiendo pauperi commodat elemosinam largiendo. Sed hoc de corporali pecunia sentiri non potest.
S i etiam semper commodet quid semper tribuat non habebit. Ergo de spiritali pecunia uerbi dei hoc dicitur quam qui erogat
non deficit. sed semper crescit illi quod tribuat. Cum uidelicet inscium docet. errantem reuocat. peccatorem conuertit. hoc sensu
illud intellegitur. quod dominus dicit in euangelio. Omni petenti te tribue. Et semen eius in benedictione erit. Semen id est
opera bona quae in praesenti seminamus. ut in futuro metamus. Unde apostolus. bonum autem facientes non deficiamus tempore
enim suo metemus non deficientes. hoc igitur semen iusti in benedictione erit. quia ut scriptum est memoria iusti cum laudi
bus et nomen impiorum putrescit. Declina a malo et fac bonum. declina a malo. id est desere malum. Sed non sufficit malum
relinquere tantum studeas et bona agere. neque enim sufficit non spoliare nisi nudum studeas uestire non sufficit ne ali
ena rapias nisi et propria largiaris. Ideo cum dixisset declina a malo subiunxit fac bonum et inhabita in seculum seculi.
I llam uidelicet supernae felicitatis in aeternum erit. Quia dominus amat iudicium. iustus enim est et nouit singulis sua re
tribuere. Iustis quidem pro praesenti afflictione premia. Malis uero pro odio quo sanctos in praesenti opprimunt aeterna restitu
endo supplicia. et non derelinquet sanctos suos. Licet enim eos ad tempus uideatur deserere cum eos permittet ab impiis cruci
ari tamen non eos deserit. quia non permittit illos superari. Tunc enim derelinquerentur. si malorum persuasionibus cederent
et ad impietatem declinarent. Unde sequitur. In aeternum conseruabuntur. Quia quamuis temporaliter in oculis hominum
uideantur a deo derelicti. tamen eis aeterna reseruatur beatitudo. Iniusti punientur. iniusti id est omnes peccatores uel
te dampnabuntur. et semen impiorum. id est mala opera peribunt. Quid sit semen impiorum. Apostolus ostendit dicens. ma
nifesta sunt opera carnis. quae sunt fornicatio. et cetera. Usque quo concludens dicit qui talia agunt regnum dei non conse
quentur. Semen quoque iustorum consequenter enumerat dicens. fructus lucis gaudium est pax et cetera. usque quo dicit
aduersus huiusmodi non est lex. Iniusti punientur. hoc est dampnabuntur digna ultione cum audierint in iudicio.

License: CC-BY-NC – St. Gallen, Stiftsbibliothek, Cod. Sang. 312, p. 78 – Remigius of Auxerre, Expositio in psalmos (http://www.e-codices.ch/fr/csg/0312/78)